



1. *Musei s. Joh. diff. in Exist. an Romanos* Cap. IX. v. 19 = 23. *Jene 1652.*
2. *diff. de vera presentia corporis Christi in S. Coena.* *Jene 1652.*
3. *diff. II. de natura et definitione Ecclesie.* *Jene 1655.*
4. *diff. de resurrectione Christi a mortuis,* *Jene 1653.*
5. *Musei s. petri diff. de Baptismo,* *Helms. 1669.*

DISPUTATIO TERTIA.

17,35

EX EPISTOLA PAVLI
AD ROMANOS, CONTI-
nens ἀνάλωσις capitis secundi.

*Cujus positiones, divina adju-
vante gratia,*

PRÆSIDE DAVIDE RVN-
GIO, S. THEOLOGIAE DOCTORE ET PRO-
fessore, in privato disputationum Theologi-
carum collegio defendet

M. CHRISTOPHORUS CADESREU-
TERUS Curienfis.

17. Januarii, anno 1596.



VVITEBERGÆ
Excusa typis M. Simonis Gronenbergii.

REVERENDO, EXCELLEN-
TISSIMO, PIETATE, DOCTRI-
na incomparabili, atque autoritate singulari cla-
riss. viro, DN. AEGIDIO HUNNIO, S.S. Theolo-
giae Doctori, ejusdemque Professori publico, ac
Electo Saxonici Superattenden-
ti dignissimo:

REVERENDO ET CLARISSIMO,
ADMIRANDA INGENII CELERITATE, IVDI-
ciique, synceritate excellentissimo viro, DN. IOHANNI GE-
ORGIO VOLCKMARO, S.S. Theol. Doctori, ac
ejusdem professori publico;

*DOMINIS FAUTORIBUS ET PRAECEPTO-
ribus suis omni animi subjectione & cul-
tu venerandis;*

*Disputationem hanc, ex secundo Epistola ad Romanos capite,
debita gratitudinis, observantiae & amoris
ergo dedicat & offert*

M. Christophorus Cadesreute-
rus Curiensis.

CAP V T S E C V N D V M.

Argumentum & dispositio.



Hoc capite Apostolus initio respondit ad objectiones quasdam Iudæorum & gentium, qui superioris capitis severissimam reprehensionem, eò ad se nihil pertinere distabant, quòd Iudæi ab eiusmodi enormi idolatria & impuritate vitæ essent alieni: Græcorum verò multi sapientes & politici viri ipsi quoque magis sobriè viverent, & antè enumerata scelera in aliis feridè reprehenderent ac damnarent. Ostendit autem hoc capite Apostolus, inane id esse effugium, & utrisque gloriam justitiæ coram Deo detrahit, nec non iudicii divini minatur rigorem. Et hæc est prima capitis pars: Altera speciatim Iudæis laudem justitiæ adimit, consideratis aliquot prærogativis eorundem, in quibus justitiam sitam arbitrabantur.

Prima pars capitis.

Paulus in accusatione intuens totum mundum, tres hominum ordines facit. Primò: Alii sunt palàm Epicurei, idolatræ, vel facinorosi; ut Antiochus, Nero, Caligula. Secundò: Alii sunt civiliter innocentes, sapientia & virtute præstantes, tam extra Ecclesiam, ut Scipio, Socrates, Aristides, quàm in ipso cœtu vocatorum, qui tamen religionis cura non magnoperè afficiuntur, sed sunt homines mundo dediti, & civiliter honestè vivunt, aliòsque facinorosos judicant. Tertio, Alii sunt hypocritæ in cœtu vocatorum, qui religionis veræ professione, & Sacramentorum participatione externa nituntur, & in his justitiam quærunt. Contra primos disputatum est cap. 1. Nunc reliquorum effugia diluit Apostolus.

Prima objectio.

Nos talia facinora, quæ suprà cap. 1. enumerata sunt, nec committimus nec probamus, sed damnamus: Ergo accusatio illa nihil ad nos. Respondens Paulus, factum hypocritarum turgentium persuasione justitiæ, & alios judicantium, retundit: O homo, inquit, memor esto, te quoque hominem esse; ἀπολογίαῖν autem hanc nullius pretii, v. 1.

RATIO PRIMA: Alios judicando te ipsum condemnas, qui eorundem scelerum in occulto reus es, quæ alii palàm committunt. Hæc est retorsio argumenti in adversarios. Loquitur autem non tantùm de externis lapsibus, sed internis vitiosis animi motibus, illicitis flammis, & tenebris de Deo, voluntate & cultu ejus, quas in omnium hominum animis esse certum est.

RATIO SECUNDA à distinctione judicii humani & divini, v. 2. Non agitur hîc, inquit Paulus, de judicio humano, in quo multi pronunciantur justi, cum revera sint impii, circumferentes conscientiam occultis peccatis multipliciter fauciatam, sed de judicio Dei cōtra impiè agentes, quod est κατ' ἀλήθειαν, non κατ' ὄψιν, Ioh. 7. v. 24. Hoc igitur tu aliorum iudex & censor non effugies; v. 3.

Secunda objectio.

At Deus non exerit suam erga nos iram talibus pœnis uti contra impios. Ergo nos sumus justi & Deo placemus: Scimus enim μεγάλην ἀδικημάτων μεγάλην εἶναι καὶ ἡμῶν παρὰ τῶν θεῶν, Herod. lib. 1. Sed nos gaudemus victoriis & florenti imperio, vel pace & bonis terrenis abundamus.

Respondet Paulus v. 4. Fallaciam caussarum esse in hoc argumento.

1. Commoda enim hujus vitæ non esse justitiæ hominum coram Deo, sed maximæ bonitatis [phrasi Hebr. Divitiæ bonitatis] patientiæ & longanimitatis divinæ erga homines argumenta.

2. A caussa finali: Differri pœnas à Deo, non quòd homines sint justi, sed ut fiant justi, & bonitatem Dei non contemnant, sed pœnitentiam agant, v. 4.

3. Dilatio pœnarum testatur, non quòd homines tanquam coram Deo justi, eas nunquam sensuri sint, sed quòd pœnas longè graviores sint degustaturi, tanquam in thesauro aliquo temporis progressu, per impœnitentiam & duritiam cordis accumulatas, v. 5.

4. Dilatio pœnarum non est argumentum, nullum fore judicium Dei adversus ejusmodi hypocritas, Sed tantùm significat, id nondum esse revelatum: Sequitur verò tandem dies iræ & revelabitur judicium Dei, v. 5.

Digressio, explicans judicii divini conditionem.

Et

Et hætenus in genere disputat Paulus contra politicos civi-
liter honestos, quorum superbiam mentione iudicii divini retundit.
Deinceps digreditur ad conditionem iudicii divini explicandam ad
gentes erudiendas, & Iudæorum fastum contundendum.

I. **NOMINA:** Iudicium extremum vocatur primò, **DIES IRÆ**,
v. 5. nunc enim est dies gratiæ & patientiæ. Secundò dies ἀποκα-
λύψεως, quia tunc Deus manifestabit occulta cordium, quæ nunc te-
guntur, 1. Cor. 4. v. 5. Tertio, dies δικαιοκρισίας: Etsi omnia Dei o-
pera sunt δικαιοκρισία, & ad iustitiæ normam exquisitè congruunt:
tamen ea æqualitas & congruentia in hac vita non semper est mani-
festa: Dies verò ista æqualitatem iudicii divini, quod nunc exerce-
tur, patefaciet, & in ipsa quoque æquabiliter, & iustè de commissis
pronunciabitur. Quarto est dies ἀποδώσεως. In hac vita multa pec-
cata manent impunita, & virtutes sæpe premuntur, adeoque pii ipsi
innocenter damnantur, Sed dies iudicii est dies retributionis.

II. **PERSONÆ:** Iudex est Deus, v. 5. is iudicabit per Iesum
Christum, v. 16. Ioh. 5. Iudicandi sunt homines, & quidem omnes,
v. 6. Omnis anima, Iudæi & Græci, v. 9. boni seu pii & filii Dei,
v. 7. & impii, v. 8. Piorum descriptio: Hi sunt, qui operantur bonum,
seu qui cum perseverantia bonorum operum quærunt honorem, im-
mortalitatem & vitam æternam. Impiorum descriptio: sunt perpe-
trantes malum, v. 9. Contentiosi, defendentes scelera sua, qui in do-
ctrina non obtemperant veritati patefactæ in verbo, in vita verò pa-
rent iniustitiæ.

III. **RES:** Opera hominum, v. 6. mala, v. 9. bona, v. 10. et-
iam occulta, v. 16. Ex operibus enim tanquam fructibus pronuntiabi-
tur de homine, utrum fuerit in numero filiorum Dei, an non.

IV. **NORMA IUDICII** ac ferendæ sententiæ est Evangelium
Pauli, v. 16.

V. **EVENTUS** & decretum iudicii extremi duplex, pro ratione
duplicium hominum & operum: Pii enim vita, honor, gloria & pax;
Impiis ira, indignatio, afflictio & στυγερὰ decernetur. Erit autem in
præmio & pœnis ea ordinis & gradus discrepantia, ut Iudæis, præ-
rogativa in utrisque salva maneat, majori nimirum gloria coronan-
dis, aut graviori ignominia & miseria plectendis, v. 9. 10.

Tertia objectio.

Iniquum videtur, si Deus unà cum sceleratissimis hominibus,

A 3

Nerone,

Nerone, Caligula, Herode damnet viros virtute & integritate conspicuos & honestos, Scipionem, Aristidem, Gamalielem.

Respondet Paulus: Deum non esse προσωπολήπτην, v. 11. Ideoque æquali lance hominum examinare conditiones, fidem & opera, & pro eorum qualitate præmia vel pœnas decernere.

Quarta objectio.

Poterant huic responso Apostolico utrique aliquid objicere; Gentes quidem: Quòd ignorãtia Legis excusentur. Iudæi verò, quòd ejusdem notitia & promissionibus meritò gaudere, & ab horribili damnationis sententia immunes esse debeant.

Respondet Paulus 1. conjunctim utrisque: Non hoc agi, utrum Legem habeant, nec ne, sed peccarint ne, an non: Cùm itaque gentes peccent ἀνόμως, Iudæi peccent ἐν νόμῳ, habentes & scientes Legem, meritò utrisque judicium & damnationem esse expectandam, v. 11, 12.

2. Distinctè respondet Iudæis v. 13. Etsi jactitent se notitia Legis, tamen non ejus notitiam, sed perfectam impletionem justificare apud Deum, à qua cùm longè absint, non esse quod de notitia nuda admodum gloriantur, & nihil hoc ipso decedere auctoritati & promissionibus Legis, quæ non ad notitiam, sed ad perfectam obedientiam sint referendæ. 3. Gentibus ignorantiam legis prætendentibus respondet, vers. 14. 15. per inficiationem, qua corrigit ac limitat istud antè positū ἀνόμως, quòd videlicet nō possint per omnia ignorantia legis se tueri gentes, cùm Legem agnoverint. Discernit hac occasione Paulus Legem naturæ, & Legis Dei promulgationem, factam in monte Sinai: Hujus notitia concedit, gentes caruisse, illius non item. Probatio duplex, 1. Gentes natura, quæ legis sunt, faciunt: Ergo sibiipsis sunt Lex, & ostendunt opus Legis scriptum in cordibus. 2. Nulla sunt hominū facta, quin à propria conscientia, vel probentur vel improbentur. Ergo necesse est aliquam in cordibus esse Legem, secundum quã opera ab ipsis met autoribus exigantur. Id manifestum fore, inquit, in die judicii, quo omnia cordium occulta pendentur & judicabuntur.

THESES, de extremo judicio.

1.
Offenditur humana ratio varietate judiciorum divinorū, quibus vel in
sce

sceleribus vindicandis, pœnisque irrogandis, vel in præmiis decernendis ac infligendis utitur. Miratur Socratem, Aristidem, Scipionem, viros virtute præstantes, à Deo negligi, & in hac vita quoque premi, & contrà Antiochum, Herodem magnum, aliòsque hujus generis manifestè impios florere imperio & victoriis. Hos eventus opponit providentiæ divinæ, & judicat omnia casu ferri.

II.

Sed vox divina veram rationem dijudicandi hanc ἀπορία^ν monstrat præsentis textu. Etsi enim judicia Domini sunt abyssus multa, Psal. 16. v. 7. Esa. 55. Sicut exaltatur cœlum à terra, sic exaltantur viæ meæ à viis vestris: Tamen aliquot causæ consilii divini quare differantur pœnæ, ex hoc Pauli loco proponuntur: videlicet, ut dilatio pœnarum sit argumentum patientiæ & longanimitatis Dei, & invitet lapsos ad pœnitentiam, non enim delectatur Deus hominum interitu, sed vult, ut omnes agant pœnitentiam, & salvi fiant, 2. Pet. 3.

III.

Si verò impiorum scelera planè non sequantur pœnæ in hac vita, tum evidentissimum argumentum est, restare aliquod iudicium post hanc vitam, in quo ἀνομία hæc ad regulam justitiæ divinæ redigatur.

IV.

Hoc ipsum etiam conscientia cuique sua dicitur, quæ iudicio naturali facta nostra probat vel accusat, impiis pœnas, piis præmia decernit.

V.

Et quanquam Ethnicorum Poëtarum figmenta de iudicio Minois & Rhadamanthi omnino nullius sunt momenti, tamen ostendunt vel ex traditione majorum acceptam, vel dictante ratione conceptam fuisse opinionem de iudicio post hanc vitam reliquo, quo bonis præmia, malis pœnæ decernantur: Sicut Plato in Phædone exemplo Socratis ostendit.

VI.

Longè verò evidentiùs vox divina docet, certò fore aliquod iudicium post hanc vitam, & plenè illustrat omnia capita hujus doctrinæ. Aliquoties inculcat hoc ipsum in textu nostro Apostolus, & Christus Matth. 24. 25, & Luc. 21. & Iohannes Apoc. 20.

Iudex

VII.

Iudex futurus est Deus ipse: Sed quia is videri nequit, 1. Tim. 1. & 6. Ioh. 1. Et hoc iudicium manifestum est futurum, unde dies ἀποκαλύψεως dicitur, ideò constitutus est decreto S. Trinitatis iudex visibilis, filius Dei incarnatus, Rom. 2. v. 16. Iudicabit Deus occulta hominum per Iesum Christum. Act. 17. v. 31. Deus statuit diem, in quo iudicaturus est orbem in iustitia, per virum quem decreverat. Matth. 25. Luc. 21.

IIX.

Et Christus ipse Ioh. 5. indicat, sibi iudicium à Patre esse mandatum, quia filius hominis sit; Irrefragabili itaque argumento hinc sequitur, Christo omnium iudici secundum humanam naturam, secundum quam iudicium hoc exercebit, communicatam esse omnium rerum, etiam occultissimarum, scientiam divinam, ad discutienda hominum facta necessariam, omnemque Dei potentiam in resuscitandis mortuis, & exequenda sententia lata declarandam.

IX.

Personæ iudicandæ sunt omnes omninò homines, tam pii quam impii, Rom. 14. v. 10. Omnes sistemur ante tribunal Christi, 2. Cor. 5. v. 10. Omnes enim nos [seipsum & pios omnes simul includit] manifestari oportet ante tribunal Christi, Matth. 25. oves & hirci comparent coram iudice Christo,

X.

Quod autem de credentibus in Christum dicitur, quòd non sint venturi in iudicium, Ioh. 3. v. 17. Qui credit in me, non iudicatur. Ioh. 5. v. 24. Qui credit ei qui me misit, in iudiciũ non venit, sed transit à morte in vitam: Id partim de condemnatione (quæ phrasi hebræa iudicii nomine venit) à qua liberi erunt credentes, est intelligendum, ut Rom. 8. Nulla est condemnatio his, qui sunt in Christo Iesu: partim, quòd Christum non sint sensuri iudicem, sed advocatum & patronum, 1. Ioh. 2. partim de revelatione peccatorum, à qua electi immunes erunt, accipitur,

XI.

Quia enim per fidem Christo insiti sunt, eumque induerunt, Gal. 3. Rom. 3. & in veste innocentiae purissima, hoc est, iustitia Christi imputata prodituri sunt in conspectum iudicis, ideò nulli eorum lapsus & peccata occulta aut manifesta in hac vita detegentur, in extremo iudicii actu, quippe quæ projecta sunt in profundum maris, & ab-

abluta sanguine Christi, Ezech. 33. Peccatorum ejus non recordabor amplius : Sed rapientur in occursum Iudicis Christi in auras, & semper cum ipso erunt, 1. Theff. 4. v. 17.

XII.

Impiis verò dicit hoc textu Apostolus : Putas ne ô homo, qui committis ipse, quæ in aliis damnas, quia tu effugies iudicium Dei, v. 3. Nulla igitur dignitatis, nobilitatis, ordinis aut divitiarum habita ratione in universum omnes sciant, se in iudicio extremo sistendos ad tribunal Christi, ad discutienda singulorum acta, & audiendam sententiam. Apud Deum enim nulla est profopolepsia.

XIII.

Quæstio principalis ventilanda in extremo iudicio erit : Quinam sint filii Dei, benedicti Patris cœlestis, qui non : Illis enim hæreditas sui patris, his æterna damnatio decernetur, Matth. 25.

XIV.

Norma dijudicandi hanc quæstionem non erit iudicium rationis humanæ, quod eos pro Dei filiis habet, qui præstant externam disciplinam, & felicitate ac commodis hujus vitæ fruuntur, nec erit vox Legis, quæ eos iudicat misericordia Dei dignos, qui perfectè omnibus Dei mandatis obtemperant, quod cum nemo hominum, solo Christo excepto, fecerit, sequeretur omnes æternæ damnationi esse adjudicandos. Quod falsum esse docet Christus, Matth. 25.

XV.

Sed sola vox Evangelii de Christo Iesu erit norma iudicii extremi, teste Paulo, Rom. 2. v. 16. Christus iudicabit occulta cordium secundum Evangelium meum : Et Christus ipse inquit, Ioh. 12. v. 48. Sermo quem locutus sum, ille iudicabit eum in novissimo die.

XVI.

Est autem sententia Evangelii expressa, Ioh. 3. Qui credit in filium, habet vitam æternam : Qui non credit in eum, manet ira Dei super eum : Manet nimirum sententia, quam Lex denunciât omnibus præceptorum Dei violatoribus : Maledictus omnis, qui non permanferit in omnibus quæ scripta sunt in Lege, Deut. 27. v. 26.

XVII.

Verè igitur in Christum credentes, & in ea fide perseverantes usque ad finem, hæredes erunt vitæ æternæ, quæ est gratuitum donum in Christo Iesu, Rom. 9. Increduli omnes relinquentur sub Legis divinæ sententia inviolabili, adjudicandi æternæ maledictioni, Marc. 16.

B

Quia

XVIII.

Quia verò iudicium illud futurum est manifestum & publicum, fides verò in Christum est abscondita in cordibus, & hypocritæ de ea quoque gloriantur, ideoque de fide cujusque iudicabitur ex operibus, veluti ex fructu de arbore.

XIX.

Nam quod ad infantes, statim post baptismum perceptum extinctos attinet, quia eorum fides per externa opera nondum potuit publicè declarari, idcirco de iis simpliciter iudicabitur secundum vocem Evangelii; Quia enim fidem ex lavacro regenerationis acceptam habent, placent Deo, Heb. 11. & sunt hæredes vitæ æternæ in Christo, quem per baptismum induerunt, Gal. 3.

XX.

Venient igitur in iudicium, fides & opera, sed dispari ratione: Fides quæ cum solo Deo agit, eique est cognita soli, absolvet hominem in iudicio, seu justificabit per Iesum Christum, Ioh. 3. Incredulitas eundem condemnabit. Opera verò erunt indicia & argumenta utriusque.

XXI.

Non enim idè damnabuntur aliqui, quasi æterno quodam Reprobationis decreto conditi sint ad æternam miseriam: Nec idè damnabuntur, quia peccaverunt, hac enim ratione omnes electi, omnesque adèd homines, nemine excepto, damnarentur: Omnes enim peccaverunt, & egent gloria Dei, Rom. 3. Sed quia noluerunt fide amplecti Christum mediatorem, qui pro peccatis mundi satisfecit, Ioh. 16.

XXII.

Quare secundum cujusque fidem & incredulitatem iudicabitur de persona, si in gratia apud Deum, an non. Secundum opera verò iudicium fiet πρῶτως de fide, nulla ne an aliqua, viva an mortua, hypocritica an vera fuerit; ἐπομένως de persona ipsa, iusta ne an iniusta sit: Idque non propter iudicem κατὰ διογνώσαν, sed propter testimonium totius orbis, & evidentio rem declarationem iustitiæ Dei.

XXIII.

Hoc est, quod scriptura testatur: Omnia hominum opera bona & mala in iudicium ventura, Matth. 26. Omniaque adèd peccata manifesta & occulta: (Nihil enim est occultum, quod non manifestetur, Luc. 8. v. 17.) tam ea, quæ externo opere perpetrata sunt, sive sermone & verbo otioso, Matth. 12. v. 36. sive facto, (2. Cor. 5. Recipiet quisque ea, quæ sunt per corpus, prout gessit, sive bonum sive malum:

malum;) quàm quæ internis animi motibus designantur, quæ hoc loco Paulus vocat occulta cordium.

XXIV.

Ex his manifestum est, quod in textu dicitur, reddet Deus unicuique secundum opera sua, & quod perseverantibus in bono opere Deus daturus sit vitam æternam, non ita esse intelligendum, quasi propter opera danda sit vita æterna, quæ gratuitum Dei donum est in Christo, Rom. 6.

XXV.

Interim non negamus, esse operibus bonis sua quædam proposita præmia in vita æterna. ut enim in hac vita donorum & honorum est differentia, ita in altera quoque differentes gradus gloriæ sunt futuri, teste Apostolo, 1. Cor. 15. Vicissim ut sunt peccatorum gradus, Rom. 1. v. ult. ita quoque erunt pœnarum, teste Christo, Matth. 11.

XXVI.

Vitæ æternæ hæreditatem Paulus hoc loco vocat gloriam, honorem, immortalitatem, pacem, complectens hisce verbis simul omnes dotes glorificati corporis, & animæ beatitudinem in visione Dei perpetua sitam, Rom. 14. Regnum Dei est iustitia, pax & gaudium in Spiritu sancto.

XXVII.

Inferni miseriam vocat, iram, indignationem, afflictionem, angustiam: Alibi scriptura vocat ignem *ἄσθισον*, frigora, sulphur, vermem immortalem, Marc. 9. v. 44. καὶ ἀνάλογον pœnarum hujus vitæ. Alioqui mens humana, ut ignorat qualitatem gloriæ cœlestis; ita quoque statum pœnarum infernalium.

De opere Legis cordibus inscripto.

I.

Bis inculcat hoc capite Apostolus doctrinam de Lege naturæ, dicens: Legis opus inscriptum esse cordibus gentium, easque natura facere ea, quæ sunt Legis.

II.

Fuit in corde primi hominis impressa perfecta notitia Legis divinæ, nec non spontanea ac integra obedientia omnium virium, interiorum & exteriorum, secundum Legem: Ac proinde de ipso rectè & ἀπλῶς dici potuit, quod opus Legis cordibus inscriptum habuerit.

III.

De hominibus verò post lapsum nondum renatis Paulus hac phrasi utens, non confirmat Pelagii deliria, de integritate & perfectione naturæ, quasi adhuc super sit plena agnitio Dei, quoad essentiam

& voluntatem in mentibus humanis, quod falsum esse dicitur experientia ipsa, & vox divina, accusans tenebras, ignorantiam & cæcitate cordis humani in rebus divinis, Eph. 5. v. 7. Ioh. 1. v. 5. Marc. 3. v. 5. 1. Cor. 2. v. 14.

IV.

Sed Paulus seipsum interpretatur, quid per opus Legis intelligat, videlicet notitias reliquas in mente, quæ sunt gubernatrices morum & externæ honestæ disciplinæ. Ideoque mox addit, quod gentes faciant non ἔν νόμῳ, sed τὰ τῷ νόμῳ, id est, quædam honesta virtutum opera congruentia cum Lege Dei.

V.

Proinde hic locus Apostoli, quo ait gentes habere opus Legis scriptum in cordibus, nequaquam patrocinatur opinioni Papistarum aut Synergistarum, fingentium aliquam vel modiculam vim superesse homini ad objecta spiritualia intelligenda vel amplectenda, atque ita mentem & voluntatem hominis tanquam σῶμα cooperari Spiritui sancto in opere conversionis.

VI.

Committitur hoc Sophismate manifesta confusio disparatarum questionum. Quod enim Paulus de gubernatione externæ locomotivæ & externis actionibus profert, in qua gentes præstitisse τὰ τῷ νόμῳ confirmat, id à moribus ad fidem salvificam in corde accendendam, quod solius Spiritus sancti opus est in solidum, perperam & malè detorquetur.

VII.

Interim tamen hoc ipsum testimonium Pauli, Flacii somnium de peccato substantiali penitus prosternit, ac in fumos dissipat. Si enim cordibus humanis inscriptum est opus Legis: Utique non erit ipsum peccatum, cum Lex peccato originis, νόμος τῆ ἀνομίας inscribi nequeat.

VIII.

Si gentes natura duce & rectæ rationis iudicio affectibus non turbato ducuntur ad honestè agendum, & faciunt aliqua, quæ sunt Legis, seu quæ à Lege Dei præcipiuntur, tum necesse est mentes humanas non esse ipsum peccatum originis, quippe cujus instinctu tantum impellimur ad peccandum.

Secunda pars capituli secundi.

Dein.

Deinceps Apostolus tertium membrum ἐνδοξενίας falsarum
justitiæ caussarum subjungit. Postquam enim gentibus, quæ notoriis
flagitiis erant deformatæ, & viris politicè honestis justitiæ laudem
coram Deo ademit, tandem Iudæos, qui singularibus prærogativis
divinitus ornati erant, aggreditur, hisque magistrali supercilio turgentibus
justitiæ gloriam non minùs quàm ipsis gentibus detrahit.

Tractatio est ἐλεγκτικὴ vanæ gloriationis Iudaicæ, quatuor
capitibus hoc loco inclusæ:

Primò jactitabant Iudæi prærogativam generis, quòd essent semen
Abrahæ, Ecce tu Iudæus cognominaris, v. 17.

Secundò gloriabantur de promulgatione & notitia Legis, in-
que ea triumphabant, v. 12. In Lege acquiescis, quo verbo irridetur
stulta opinio Iudæorum, qui finem Legis θεωρίαν esse arbitrabantur.
Hoc membrum tribus versibus illustrat, v. 19. 20. & 21. nosti, inquit,
voluntatem Dei, & discrimen boni ac mali: Confidis te cæterorum
esse ducem, lumen, eruditioem, magistrum: Reliquos habes pro cæ-
cis, tenebris, insipientibus, imperitis. Hæc omnia ad secundum caput
jactantiæ Iudaicæ, videlicet Legis notitiam pertinent.

Tertiò. Gloriatio Iudæorum est in Deo, id est, tribuebant sibi
titulum Ecclesiæ, quòd essent populus Dei, & gens sancta, Deo fœde-
re solenni devincta.

Quartum jactantiæ Iudaicæ caput erat circumcisio, v. 25. ex-
terna in carne, Dei mandato præcepta Abrahamo, quæ erat signum
fœderis inter Deum & populum Israëliticum, & necessariò sub pœna
mortis temporalis & æternæ masculis omnibus erat fubeunda.

Ad hæc quatuor capita, videlicet prærogativam sancti gene-
ris, notitiam Legis divinæ, titulum Ecclesiæ & populi Dei, & circum-
cisionem, respondens Apostolus, docet inania hæc effugia nihil in ne-
gotio justificationis nostræ coram Deo omninò valere.

Primum caput de sanctitate generis non plenè confutat hoc
loco, sed tantùm verbo ἐπωνομάζει argutè perstringit inanem generis
& titulorum sine re fiduciam, & v. 2. & 29. distinguit inter verum
Iudæum, & qui solo nomine ac titulo Iudæi superbit.

Ad secundum, de notitia Legis responderetur per fallaciam
caussarum: Non enim notitia, sed impletio Legis justificat: Et vanæ,
gloriationi de sancta γνώσει opponitur vera accusatio de impia πρᾶξι
v. 21. 22. 23. doces alium, & teipsum non doces, prædicas non furan-
dum, & furaris, &c.

Ad tertium de titulo Ecclesiae & Dei respondet, Paulus v. 23. & 24. tantū abesse ut hoc nomine gloriari debeant ac possint, ut propter ipsorum notoriā transgressionem legis, nomē Dei sanctum blasphemetur inter gentes, cū stupore & admiratione inquirentes, qualis nam is sit Deus, qui gentem tot sceleribus pollutam pro suo populo agnoscat.

Ad quartum caput de circumcisione respondet Apostolus: 1. Per concessionē: Prodest, inquit, circumcisio. loquitur in praesenti tempore, nulla antiquationis & abrogationis facta mentione, quia cum Iudæis disputat quasi in suo foro, & alienam thesin de abrogatione Leuitarum Ceremoniarum hoc loco tractandā non suscepit. Prodest verò si legem serves: includit enim conditionis nomine perfectam Legis impletionem. 2 κατὰ βίωσιν, si Legis transgressor fueris, vertitur circumcisio in praeputium, hoc est, Iudæus circumcisus ab Ethnico habente praeputium, nihil differt. Imo incircumcisus jura legis servans (v. 26) seu praestans verum Dei cultum, reputabitur pro Iudæo, & eum, qui secundum literam & circumcisionem Iudæus est, judicabit. 3. Per distinctionē vocabulorum Iudaismi & circumcisionis: Quæ aliàs quo ad titulum & appellationem nudam enunciantur, aliàs rem ipsam verbis significatam conjunctam habent. Differentias quatuor recenset: Alius est Iudaismus, & alia circumcisio in propatulo, in carne, in litera seu titulo, & laudem habet ab hominibus: Verus Iudaismus, & vera circumcisio sunt in occulto, in corde, in Spiritu, & habent laudem ex Deo, v. 28. & 29.

Theses de carnali gloriatione sancti generis.

I.

Antiqua opinio sed prava est, sanctos ex sanctis nasci, & posteros majorum fide ac pietate, suam incredulitatem & impietatem tegere, involvere, excusare solere, tritum est.

II.

Iudæi in primis hoc argumentorum genere utebantur: Genus & Semen Abraham sumus. Ergo iisdem privilegiis & commodis, quibus ipse usus est, meritò gaudemus. Liber fuit Abraham, non servus. Ergo Iudæi quoque liberi, Ioh. 8. v. 33. Nos semen Abraham sumus, & nemini unquam servivimus, Sanctus fuit Abraham & Deo dilectus filius. Ergo Iudæi quoque.

Quin

III.

Quin etiam nostro seculo Calvinianorum non sunt nulli, qui ex sanctis parentibus arbitrantur sanctos nasci liberos, hoc est, Deo acceptos, & vitæ æternæ hæredes, ex hac causa, quia ex sanctorum & fidelium semine sint criundi, dicente Domino: Ero Deus tuus & seminis tui post te, Gen. 17. v. 7. & Paulo 1. Cor. 7. Liberi vestri sancti sunt.

IV.

Iudaicam hanc præsumptionem sæpe confutat Scriptura: Christus Ioh. 8. respondet Iudæis: Pater vester Diabolus est, cuius opera facitis: Iohannes Baptista Luc. 3. Nolite dicere, semen Abrahamæ sumus, potest enim Deus ex lapidibus istis suscitare filios Abrahamæ. & Ioh. 1. Filij Dei non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis aut viri, sed ex Deo nascuntur.

V.

Sunt quidem Abrahamæ factæ promissiones admodum illustres, quæ tam ad ipsum quàm semen eius spectant. Sed Semen Abrahamæ aliud carnale est, aliud spirituale. Filij Abrahamæ secundum carnem sunt Iudæi, & Israëlita secundum carnem, imò etiam Ismaëlita. Ac proinde nisi fidem Abrahamæ imitentur, nullam promissionis factæ Abrahamo efficaciam experientur. Ea enim non ad filios carnis, sed promissionis est alligata.

VI.

Spirituales igitur filij eiusdem sancti Patriarchæ sunt omnes credentes, dicente Paulo, Rom. 4. v. 16. Promissio est firma omni semini, non ei solum, qui ex Lege est, sed & ei, qui ex fide est Abrahamæ, qui est Pater omnium nostrum.

VII.

Qui verò fide non sunt filij Abrahamæ, ad hos promissiones eidem factæ, nihil omninò pertinent, etiam si sint carnali propagatione eiusdem filij, dicente Paulo, Rom. 9. Non omnes, qui sunt ex Israël, sunt Israël, neque qui sunt semen Abrahamæ, statim omnes filij.

VIII.

Qui verò fidem habent Abrahamæ, Rom. 4. & faciunt opera eius, ut Christus loquitur, Ioh. 8. hi sunt genuini eiusdem filij, & sunt in occulto Iudæi in Spiritu, quorum laus est ex Deo, & habent promissionem gratiæ Dei & hæreditatis æternæ.

IX.

Proinde promissio divina, Ero Deus tuus, & seminis tui post te, non est usq; est extendenda, quasi piorum parentum liberi sanctitate quadam inter-

ter-

ternam, ex nativitate prima, & parentum semine concepta præditi
sint, qua Deo placeant. Hæc namque opinio evertit doctrinam de pec-
cato originis, omnibus omnino hominibus inhærente ex primo ortu.
Ioh. 3. Psal. 51. deque gratia Dei certis organis dispensanda in hac
vita, & confirmat vel commentum arcani decreti divini de certis ho-
minibus conditis ad salutem, vel Epicureas ludæorum gloriations
de prærogativa carnis.

DE CIRCUMCISIONE.

I.

Sacramenta vfitata appellatione in Ecclesia dicuntur sacrae actiones
divinitus instituta, constantes verbo & Elemento, quibus Deus con-
fert vel obfignat promissionem gratuita remissionis peccatorum &
vitæ æternæ.

II.

Vt enim infirmitati humanæ consulere Dominus, omnibus tem-
poribus promissioni Euangelii de gratia Dei externa symbola adjun-
xit, qualia fuerunt in veteri Testamento, circumcisio, & Agnus Pa-
schalis, & in Novo Testamento sunt Baptismus & cœna Domini.

III.

Et si enim promissiones divinæ in se certissimæ sunt, nec ullo ve-
ritatis & certitudinis testimonio aut documento indigent, tamen fi-
dei nostræ imbecillitas ejusmodi signaculis externis sustentanda erat.
Rom 4.

IIII.

Sunt præterea organa ac media, quibus applicatur promissio sin-
gulis fide utentibus Sacramento, & promissionem sibi applicantibus,
Gal. 3. v. 27. Quotquot baptizati estis, Christum induistis.

V.

Omisis hoc tempore reliquis, de circumcissione, de qua hoc loco
disputat Apostolus, paucis agemus: Ejus nomen ex natura rei seu
facti externi deductum est, quo caro præputii præcidebatur masculis
omnibus, qui erant in familia Abrahami & tota eius posteritate.

VI.

Institutio eius extat descripta Gen: 17. capite, quo Deus pactū seu fœ-
dus sancit cum Abrahamo & semine eius, cujus signum esse vult cir-
cumcisi-

cumcisionem præputij, addita gravissima comminatione contra omnes Legis hujus violatores.

V II.

Ac Paulus cap. 4. ad Romanos demonstrat, Abrahamum non fuisse justificatum per Circumcisionem, quippe cum tredecim annis ante eam acceptam pronuncietur justus fide, sed fuisse illi circumcisionem carnis, signaculum justitiæ fidei externum, fœderi divino additum.

V III.

Necessitatem Circumcisionis in Veteri Testamento in posteritate Abrahami arguit comminatio adjecta: Masculus, cujus præputij caro circumcisa non fuerit, eradicabitur ex populis suis, quia pactum meum irritum fecit, Gen. 17. v. 14. Fuit igitur Circumcisio Sacramentum initiationis populo Veteris Testamenti, quo recepti sunt circumcisi in fœdus cum Deo, & collatū ipsis est regenerationis & fidei donum, vel ejusdem incrementum, & applicata promissio spiritualis de gratia & remissione peccatorum.

I X.

Hinc oritur illa sanctorum fiducia in adversis, & gloriatio de circumcisione, vt Davidis cōgressuri cum Goliatho, & Ionathæ pugnanturi cum Philistinis, 1. Sam. 14. & 17. Non enim in sola carnali nota, quæ potius ignominia quam gloriæ materiam præbere poterat, exultant, sed recordatione fœderis cum Deo, & sanctarum promissionum, quas fide amplectuntur, se sustentant.

X.

De fœmellis verò, quia nō extat mandatum, temerarium foret comminisci, quòd aliud quoddam initiationis Sacramentum habuerint, ut Pontificiorum quidam fingunt. Vide Iodocum Ravenstein contra examen Chemnitij, p. 25.

X I.

Similiter alia ratio est infantum, qui ante octavum diem fuerunt extincti, qui quoniam fœdus Dei non fecerunt irritū, præventi morte, immunes sunt ab hac severissima denunciatione æternæ mortis, & haud dubiè alia extraordinaria Dei operatione, utpote in casu necessitatis, fuerunt salvati.

X II.

Quod verò ad infantes in deserto extinctos sine circumcisione atinet, non possunt simpliciter damnari, cum eam non tam contemtu quàm necessitate itinerum poscente, parentes neglexerint. Neque ta-

C

men

men etiam excusari debet parentum incuria, quam Dominus corrigit Ios. 5. dum circumcidi in ipso aditu terræ sanctæ præcipit omnes in deserto natos & incircumcisos.

XIII.

Significationem circumcisionis seu allegoriam, ut Lutherus nominat in 17. cap. Genes. sæpe inculcant Prophetæ, & hoc loco Apostolus. Adumbratum est enim præputio cor hominis incircumcisum, in peccatis conceptum, & circumcisione præputii significata est cordis circumcisio, hoc est, mortificatio veteris Adami, & cupiditatum illicitarum extinctio.

XIIII.

Ac in genere scriptura utitur hac allegoria de membris humani corporis exorbitantibus à legitimo usu vel ineptis ad sacrum usum, ut dicat aures incircumcisas, quæ verbum Dei non audiunt, eisque obediunt, Ierem. 6. v. 10. Act. 7. Labia incircumcisa, quæ non sunt idonea ad prædicationem verbi & operum Dei. Exod. 6.

XV.

Neque tamen hinc duplex Circumcisio propriè sic dicta potest aut debet constitui, nec unicus actus in duos formâ differentes, & tempore distinctos divelli. Fingunt enim Calviniani multos infantes circumcisos fuisse carne, quibus tamen non fuerit applicata promissio gratiæ, nec collatum regenerationis donum, cujus effectus metaphorica circumcisionis voce denotatur.

XVI.

Vt enim de hypocritis, qui sine fide circumcisionem carnis susceperunt, & corde incircumcisi manserunt, non agamus, non est dubium, multos ex Iudæis, qui in infantili ætate fuerunt circumcisi, & participes facti promissionis ac renovationis internæ seu circumcisionis cordis, postquam adoleverunt, seductos idolatria aut alijs peccatis, gratia Dei excidisse, & incircumcisos corde & auribus factos esse, sicut ad Patres concilii Hierosolymitani Stephanus loquitur, Act. 7. Et tales sunt Iudæi, quorû inanem fiduciam circumcisionis in carne reprehendit Apostolus Rom. 2. Et hæc circumcisio destituta vero suo effectu nihil prodest omnino.

XVII.

Quæstio de abrogatione circumcisionis dilucidè explicata est à Paulo in Epistola ad Galatas, & in Concilio Apostolico Act. 15. decisa. Quod enim gentes attinet, nunquam illis, ne quidem in veteri Test. æternæ

æternæ salutis consequendæ causâ necesse fuit circumcidi, liberum tamen erat hoc Sacramento uti, his, qui genti Iudaicæ cohabitare volebant. Fuit enim tantummodò mandata Abrahamo, & semini ejus in generationibus suis, quibus confirmabat non tantum generalem promissionem de gratia Dei & justitia fidei, Rom. 4. Sed etiam specialem de Messia, nascituro ex hoc circumciso populo, & de terra Canaan tanquam hospicio Ecclesiæ, ex qua proditurus erat Messias. Salus enim ex Iudæis est, Ioh. 4.

XVIII.

Vtrumque dictum Apostoli est: Circumcisio prodest, Rom. 2, v. 25. & Circumcisio nihil est, 1. Cor. 7, v. 19. Sed diverso respectu prolatum & accipiendum. Prodest circumcisio, si Legem observes: Est enim obligatio ad totius Legis observationem. Gal. 5 v. 3. Quare qui eam urgebant spreto Messia, hi ejus usu non modò non justii erant coram Deo, sed etiam magis accusabantur, quòd spreto fœderis capite summo, videlicet promissione gratiæ & justitiæ per fidem, solo ejus signaculo externo sese efferrent.

XIX.

Abrahamo verò & omnibus piis Iudæis multum profuit circumcisio ad confirmandam fidem de gratia Dei, quia obedientiam, quam Legi divinæ præstare ipsi non poterant, ab alio præstitam sibi fide applicabant, videlicet Christi Mediatoris. Et hac ratione, justitiam fidei coram Deo consecuti sunt, & signaculum ejus circumcisionem rectè usurparunt. Qui verò obedientiam Christi imputatam respuebant, hi circumcisionis pacto obligabantur ad propriam uniuersæ Legis impletionem.

XX.

In Christo Iesu igitur neque præputium est aliquid, neque circumcisio, hoc est, neutrum confert vel adimit æternam salutem his, qui sunt Christo Iesu insiti per fidem, Gal. 5. Quare qui circumcissione vel aliis operibus legis salutem quærunt, hi audiant Apostolum dicentem: Si circumcidamini, Christus vobis nihil prodest, evacuati estis à Christo, & gratia excidistis.

XXI.

Abrogata itaque est circumcisio, quia Christus finis legis est, qui omnes typos veteris testamenti ministerio suo adimplevit, & quo exhibito, cessare debuerunt umbræ. Dan. 9 Ier. 31. & quia tantum mandata fuit Abrahamæ & posteritati ejus, ut inter alia essent signum

promissionis de venturo semine. Eo igitur exhibito, cessat signum e-
iusdem exhibendi. Christus aetiam emittens Apostolos in uniuersum
orbem non mandat circumcisionem, sed baptismum in eius
locum substituit. Mar. 16. Col. 2. v. 11. 12. & Apostoli
nolunt hoc jugum imponi cervicibus cre-
dentium in Christum. Act 15.

Soli Deo gloria.



AB 22 841 (1)


ULB Halle 3
002 043 793



Sb.

W19

H. 77







17,35

DISPUTATIO TERTIA.

EX EPISTOLA PAVLI
AD ROMANOS, CONTI-
nens ἀνάλωσις capitis secundi.

*Cujus positiones, divina adju-
vante gratia,*

PRÆSIDE DAVIDE RVN-
GIO, S. THEOLOGIAE DOCTORE ET PRO-
fessore, in privato disputationum Theologi-
carum collegio defendet

M. CHRISTOPHORUS CADESREU-
TERUS Curienfis.

17. Januarii, anno 1596.



WITEBERGÆ
Excusa typis M. Simonis Gronenbergii.

